



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Punct. I. De numero prædicabilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

passione non cognita, non tamen potest de subiecto negari, non enim potest dici, homo non est risibilis. Contra hanc solutionem argumentum desumitur ex frigiditate ut octo, quæ est passio aquæ & positivè de illa potest negari, verè enim dicimus; cum aqua ab extrinseco gradum aliquem caloris recipit, aqua non est calida ut octo. Respondet Eminētissimus, & admodum Venerandus Cardin. Bellarm. tom. 3. de amissione gratiæ, cap. 3. obiect. 6. q. 1. art. 1. propriam passionem non posse separari positivè à subiecto, neque de illo verè negari absque aliqua subiecti violentia, cum enim verè enunciāmus, aqua non est frigida ut octo, violentiam patitur aqua in negatione octavi gradus frigiditatis, in quo differt passio ab accidenti, quia hoc absque vlla violentia potest à subiecto separari, vel potuit illi non contingere.

Non impugno solutionem à tanto viro traditam, quæ præ omnibus rem dirimit, quæ defendenda est definitio tradita à Porphyrio si aliquo modo sustinenda est. Verumtamen non inuenio in prædicta definitione particulam aliquam, quæ illius doctrinæ explicetur, neque multum referet dicere cum Hurtado disp. 6. sect. 6. ineptam definitionem traditam fuisse à Porphyrio, vel cum Arriaga disp. 8. sect. 3. prædicta definitionem quartum, & quintum prædicabile comprehendit.

Definitur clariùs quantum prædicabile ut distinctum à proprio quod conuenit subiecto tanquam forma accidentalis omnino contingenter. Differt à proprio per illam particulam, omnino contingenter, & reliquæ eodem modo explicantur, ac in definitione proprii.

PUNCTVM VIII.

De accidente secundo intentionaliter sumpto, seu de quinto prædicabili.

Explicatis iam naturis reliquorum prædicabilium facile hoc quantum definitur: duplicem definitionem breuiter accipe. Accidens prædicabile est quod prædicatur de pluribus in quale omnino contingenter. Alio modo: quod prædicatur de pluribus ut forma accidentalis omnino contingens subiecto. Per illas particulas omnino contingenter, & omnino contingens subiecto differt hoc prædicabile à quinto, reliquæ partes definitionis eodem modo explicantur, ac in proprii definitione.

De termino in ordine ad quem accidens constituitur prædicabile dicendum est esse subiecta, quibus conuenit accidens non formaliter sumpta ut informata tali accidenti, sed materialiter, & secundum se sumpta, quatenus supponuntur ad tale accidens tanquam substitutum concreti resultantis ex subiecto, & accidenti. Rem explicet exemplum: abstrahitur ab hoc & illo albo ratio albi vniuersaliter sumpti, conceptus ille, seu illud concretum album abstractè sumptum non constituit quantum prædicabile respectu huius albi, & illius albi formaliter sumpti, quia hæc prædicatio hoc album est album, non pertinet ad quantum prædicabile, sed ad secundum speciei, quia prædicatum dicit quidquid includit subiectum demptà differentia individuali, quod est dicere totam essentiam prædicabilem per quod constituitur species formaliter. Constituitur ergo conceptus ille album sic abstractum quantum prædicabile respectu subiectorum, quæ includunt tanquam substituta concreta singularia, à quibus abstrahitur, v. g. respectu ligni, parietis, &c. quibus cum albedine constituitur hoc album, & illud album.

Quæstio est, an hoc prædicatum album requirat plura subiecta actu existentia ut constitutur vniuersale. Patres Conimbricenses affirmatiuam partem tuerentur, quia hoc prædicatum album tantum potest enunciari de subiecto existente, ac proinde pluribus subiectis non existentibus de pluribus prædicari nequit, neque esse vniuersale cuius essentia est posse prædicari de pluribus. Alij distinguunt inter accidentia, quæ requirunt existentiam subiecti, sicut albedo, quæ de subiecto non existente in concreto dici nequit, & accidentia intentionalia, quæ hanc existentiam non exposcunt, potest enim dici cognitus Petrus etiā non existens. Idem iudiciū ferunt de accidenti subiecti destructiuo, de Petro enim non existente dicimus, Petrus est mortuus.

Censeo in primis hanc distinctionem ad rem non esse, quia sicuti non possumus dicere Petrus est albus, nisi de

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

facto sit albedo efficiens subiectum, ita non possumus dicere est cognitus, nisi de facto existat cognitio respiciens obiectum, quod denominat cognitum, neque Petrus est mortuus nisi de facto sit mors, seu non esse hominis, qui antea fuerat, & sicuti inquiritur an existente vno tantum subiecto albo hic conceptus albus sit vniuersalis, sic inquiri debet an vno tantum subiecto dato, cum denominatione cogniti, seu an data tantum vna cognitione vnicum respiciens subiectum, conceptus iste cognitus abstractè sumptus sit vniuersalis, & an quando vnus tantum homo fuit emortuus, conceptus iste mortuum abstractè sumptum vniuersalis sit. Censeo insuper non existentibus pluribus subiectis actu albis hoc prædicatum album abstractè sumptum esse vniuersale, quia quatenus est ex se, aptum est prædicari de pluribus, & si de facto non possit immediatè de illis prædicari, hæc impotentia non oritur ex aliquo, quod in prædicato sic abstracto ad prædicabilitatem desideretur, sed ex defectu subiecti, quod non minuit potentiam prædicandi tenentem se ex parte prædicati, sicuti non minuit meam potentiam visuam defectus obiectorum, & de facto dicor habere potentiam ad videndam duos Soles licet de facto nō possim illos videre, quia vnus solus existit.

Rogari solet an quantum prædicabile requirat plures albedines in pluribus subiectis, vel an contentum esset vnica albedine in pluribus subiectis existente. Cui quæstioni respondeo sufficere eandem albedinem in pluribus subiectis, quia concreta accidentalia multiplicantur per subiecta, & ita essent plura alba, etiamsi vna tantum albedo existeret in pluribus subiectis. Neque ex hoc sequitur dari vniuersale à parte rei, quia licet albedo esset vna, alba tamen non haberent vnitatem nisi per intellectum.

Hic disputant nonnulli an quartum, & quintum prædicabile essentialiter differant, vel tantum accidentaliter, de quo Controu. 7. Punct. 1.



CONTROVERSIA VII.

De his quæ communia sunt omnibus prædicabilibus.

PUNCTVM PRIMVM.

De numero prædicabilium.

RÆDICABILIA quinarium numerum attingere, illūque non excedere fert communis sententia, à qua propter leuia fundamenta recedendum non est. Prædicabilia non posse excedere quinarium sic probō: Modus prædicandi vel est in quid purè, vel in quale, vel in quale quid. Si est in quid, vel est tanquam pars, vel tanquam totum: si tanquam pars erit tanquam pars materialis, quia pars formalis non prædicatur in quid purè, & ita modus iste prædicandi constituit genus, quod est primum prædicabile: si tanquam totum constituet secundum prædicabile, quod est species, neque præter hos duos modos alius superest prædicandi in quid purè. Prædicandi in quale quid vnus tantum reperitur modus prædicandi per modum partis formalis essentialis, quia pars materialis & totum prædicantur in quid purè, & pars accidentalis in quale purè, hic ergo modus prædicandi in quale quid constituit tertium prædicabile, quod est differentia. Modus prædicandi in quale purè, necessariò est per modum partis formalis accidentalis, quæ si necessariò comitetur essentiam constituet proprium quartum prædicabile: si contingenter, accidens quantum prædicabile conficiet. En quinque modos prædicandi, quibus quinque prædicabilia constituuntur, vltra quos nullum alium mediteris. Alio modo eandem conclusionem breuiter ostendo. Modus prædicandi vel est essentialis, vel accidentalis. Si essentialis vel per modum partis materialis, qui modus proprius est generis, vel per modum partis formalis, qui pertinet ad differentia, vel per modum totius, quo species constituitur, neque alius modus prædicandi essentialiter valet excogitari. Si modus prædicandi accidentalis sit, aut prædicatū accidentale necessariò comitatur essentiam, aut illi contingenter aduenit: si illam necessariò comitatur, erit proprium quartum prædicabile, si contingenter

K

constituet accidens quintum predicabile, neque ultra hos modos predicandi alius excogitari potest.

2 Contra hanc conclusionem nonnulli obiciunt: genus subalternum predicatur de pluribus genere differentibus, genus infimum predicatur tantum de pluribus specie differentibus: ergo genus subalternum, & genus infimum specie differunt. Probatur consequentia: genus & species in hac ratione predicabilium differunt specie, quia genus predicatur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero. Sed magis inter se differunt predicari de pluribus differentibus genere, & pluribus differentibus specie, quam predicari de pluribus differentibus specie, & pluribus differentibus numero: ergo magis differunt in modo predicandi genus subalternum, & infimum, quam genus, & species. Sed genus & species constituunt duo predicabilia essentialiter distincta: ergo duo alia constituent genus subalternum, & infimum. Idem argumentum fit de specie subalterna, & infima.

3 Respondeo concedendo primum antecedens, & negando consequentiam. Ad confirmationem dico genus & speciem non distingui specie precise ex eo, quod genus predicatur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero, sed ex eo, quod genus predicatur per modum partis materialis, & species per modum totius essentiae, quae differentiae explicantur in genere, & in specie per hoc quod est predicari genus in *quid* de pluribus specie differentibus, & speciem de pluribus differentibus numero. Genus autem subalternum, & infimum utrumque predicantur per modum partis materialis, & ita non inveniuntur in illis differentiae, quae reperiuntur inter genus & speciem, ut duo predicabilia constituent. Idem dicito de differentia subalterna, & infima, utraque enim predicatur tanquam pars formalis essentialis, absque eo, quod resulter modus aliquis distinctus predicandi in subalterna, & infima, etiam si haec tantum predicetur de pluribus numero differentibus, & illa de pluribus differentibus specie.

4 Probauimus predicabilia non excedere quinarium numerum, videndum modus est an illum attingant. Tria priora predicabilia inter se, & a quarto, & quinto specie differre certum est apud omnes: de quarto & quinto predicabili maior est difficultas. Arraga disp. 9. sect. 2. n. 11. asserit haec duo predicabilia inter se non differre essentialiter, & ita vnum tantum constituere, quia utrumque predicatur in *quale* pure, & utrumque per modum partis formalis accidentalis, quod autem vnum predicetur necessario, & aliud contingenter, putat esse materialem differentiam ad Logicum non spectantem. Idem docet Hurtadus disp. 7. sect. 2. licet se non reclamaturum promittat, contra illos, qui haec duo predicabilia specie distinguunt.

5 Nulla efficaci ratione in sententiam aliquam efficaciter trahor, quapropter ito pro communi sententia, & affirmo haec duo predicabilia inter se essentialiter differre ex modo predicandi, quibus completur quinarium predicabilium numerus ab omnibus receptus. Sic ratio: modus predicandi necessarius, & modus predicandi contingenter sunt modi predicandi essentialiter distincti, contingens enim, & necessarium essentialiter opponuntur, & uterque modus predicandi pertinet ad speciem predicabilis constituendi, sicuti modus concludendi ex principiis necessariis, aut contingentibus pertinet ad speciem syllogismi constituendi, & quando concluditur ex principiis omnino necessariis constituitur demonstratio specie distincta a syllogismo probabilis, qui constituitur quando concluditur ex principiis non necessariis, & sicuti ex diuersitate materiae necessariae, aut contingentis resultat differentia essentialis in syllogismo, qui ex hac, vel ex illa constituitur, sic ex diuersitate eiusdem materiae resultabit differentia essentialis in predicabili, quod constituitur ex predicato, quod necessario, aut contingenter conuenit subiecto.

6 Ex hac doctrina facile respondebis argumento, quod pro opposita sententia fieri solet. Quartum, & quintum, tantum differunt ratione materiae contingentis, aut necessariae. Sed Logicus non agit de materia predicabilium: ergo differentia illa non pertinet ad Logicum: ergo haec predicabilia Logice non differunt. Distinguendum est primum antecedens: quartum, & quintum predicabile tantum differunt ratione materiae radicaliter, concedo formaliter nego, hoc est, tota differentia horum predicabi-

lium initium sumit ex diuersitate materiae, non tamen formaliter in hac consistit, sed in differentia in modo predicandi contingenter aut necessario, quae ex materia diuersitate resultat.

PUNCTUM II.

An universale sit genus ad quinque predicabilia.

1 Non procedit questio de vniuersali materialiter sumpto, seu de naturis, quae denominantur vniuersales, seu constituunt genera, aut species, harum enim quaedam sunt accidentia, alia substantia, quaedam entia positiua, alia negatiua, quaedam realia, rationis alia, quibus omnibus non dari conceptum commune vniuocum certum est. Procedit difficultas an genus, & species & reliqua predicabilia formaliter sumpta, quatenus sunt concreta secundum intentionis vniuocem conueniant in conceptu vniuersalis omnibus communi.

2 In sensu questionis explicato mihi certum est omnia predicabilia vniuocem conuenire in conceptu vniuersalis omnibus communi, & essentiali. Ratio fit: omnia predicabilia habent essentialiter hoc quod est posse predicari de pluribus, & differunt ex eo quod vnum predicetur ut tota essentia, aliud ut pars materialis, aliud ut pars essentialis, &c. ergo possunt omnia cognosci cognitione quadam confusa, ex vi cuius apprehendantur quatenus possunt de multis predicari, quin discernatur specialis cuiuscumque modus predicandi per modum, vel per modum partis, &c. ergo possunt cognosci conceptu quodam vniuoco secundum rationem, in qua omnes conueniunt, quae ex vi talis cognitionis genus denominabitur. Confirmatur: hominem, & equum, & alias huiusmodi species vniuocem conuenire in ratione animalis nihil aliud est quam cognosci cognitione quadam confusa, ex vi cuius non discernantur differentiae, & omnia attingantur secundum connotata similia, per quam cognitionem animal, quod intrinsece tantum est viuens sensibile extrinsece denominatur genus. Sed omnia predicabilia possunt cognosci simili cognitione, ex vi cuius non discernantur differentiae, sed tantum attingatur ratio vniuersalis: ergo ex vi huius cognitionis vniuersale quod tantum intrinsece habet esse vnum in multis genus denominabitur respectu omnium predicabilium, seu omnium specierum, quae in illa cognitione confunduntur.

3 Obiicies: Tria priora predicabilia predicantur essentialiter, duo posteriora accidentaliter: ergo non conueniunt vniuocem in ratione predicabilium. Respondeo: tria priora predicabilia esse essentialia suis inferioribus, & posteriora accidentalitatem, omnibus tamen esse essentialia posse predicari de multis, potentia enim, seu aptitudo ut predicentur de multis, omnibus est aequae essentialis, licet tria priora habeant aptitudinem ut predicentur tanquam subiecti essentia, & duo posteriora habeant aptitudinem ipsi predicabilibus essentialem, in qua cum aliis conueniunt, ut predicentur tanquam accidentia respectu subiecti. Aliud enim est predicatum non esse essentialia respectu subiecti, quod conuenit duobus posterioribus predicabilibus, aliud in se non habere aptitudinem essentialem, ut predicetur, quod de nullo predicabili dici potest, omnia enim habent aptitudinem ipsi essentialem ut predicentur, in qua vniuocem conueniunt.

4 Obiicies secundò: Differentia essentialis, & differentia accidentalis non conueniunt vniuocem quatenus faciunt differre: ergo neque quatenus sunt predicabiles. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia differentia accidentalis proprie non facit differre, ut dicebam Controv. 6. Punct. 1. differentia verò accidentalis propriissime predicatur predicatione, quae strictè & rigorose habet totam predicationis assentiam, & ita habet strictam, & propriam potentiam secundum omnia predicata potentia ut de inferioribus predicetur.

5 Obiicies tertio: Duo predicabilia posteriora dependent a duobus prioribus: ergo non possunt vniuocem conuenire. Defendo in Metaphysic. Controversia 1. Puncto 6. dependentiam non tollere vniuocationem, ac proinde omisso antecedenti possem consequentiam negare, independentem tamen ab hac questione argumentum dissoluo distinguendo antecedens. Posteriora predicabilia dependent a prioribus